



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

I V S T I   L I P S I  
E P I S T O L I C A  
I N S T I T V T I O,

Excepta è dictantis eius ore, Anno 80. I<sup>o</sup>.  
LXXXVII. mense Iunio.

*Adiunctum est Demetrij Phalerei eiusdem  
argumenti scriptum.*

EDITIO VLTIMA.




52

ANTVERPIE,  
X OFFICINA PLANTINIANA,  
Apud Ioannem Moretum.  
c I o. I o c. v.

Cum Privilegiis Casareo & Regio.

I. L I P S I V S  
FRANCISCO RAPHELENGIO  
S V O S. D.

V A N D O ita vīs, fīat. Ede libellum, potius quām vt  
aliius alibi eum edat: quod aīs te compērīsse. Ego tamen non  
in hanc spēm genui: & scis extemporalis curā ferē ante an-  
nos quattuor dictata hēc nobis, idq; in vīsum captumique  
saltem iuuentutis. Iis ipfis multa vtiliter tunc interfati sumus aut mi-  
scuimus, quaē hic non habes, illustranda scilicet rei aut firmando. Nam  
hēc brevia. quaē tamen ipsa, quoniam vīsi etiam alijs esse posse, tu alijsque  
cēsent: age, non inuidē, communica. sed hēc lege vt omnes sciant,  
discēntibus, non doctis; iuuenib; non adultis, hēc à nobis scripta: nec  
vīquam edendi isto fine. Nam hēc talia seruabamus Dialogis De in-  
stituendā iuuentute. Sed, vt initio dixi, quoniam vīs, fīat: & tu  
in alijs magē serijs Plantinianum nomen famamque propaga. Vale.  
v. Kal. Nouemb. cō. Iō. xc.



IVSTI LIPSI  
EPISTOLICA  
INSTITVTO.

CAPVT I.

De nominibus varijs Epistola: & de forma apud veteres.

**E**PISTOLA quâ rectè & laudabiliter scribatur, præire mihi propositum iuuētuti. sed compendio: ad vsu[m] non ad speciem: nec vt omnia que ad rem, sed quæ in rem maxime dicam.

**E**PISTOLAE Græcanicum nomen est, <sup>λογ</sup> <sup>τετταλεν</sup>, quasi *Missoram* dicas: (Isidorus in- <sup>Lib. vii.</sup> <sup>Orig.</sup> terpretatur *Missam*) sed in veteri tamen Latinorum vsu: & Plau- <sup>tus aliquoties usurpat, & Afranius co[n]cediam etiam quampliam, Epistolam inscripsit. V</sup> mediâ Politianus & nonne mo hodie scri- bunt, freti auctoritate librorum & lapidum, in quibus crebro sic reperias: sed, nisi fallor, numquam ante Vespasiani æuum. Et per Osanè rectius scripsis imagis que *ἀνάγνως*. Alijs etiam nomini- bus prisci appellauere, *Litteras, Tabulas, Tabellas, Codicillo[s]*. Lit- teras, (poëtae etiam *Litteram*,) ob eminentiam, & quia hoc genus creberimi inter litteras omnes vsus: Tabulas, Tabellas, Codicillo[s] à materie; quia ante chartæ & membranarum vsu[m] ( \* Isido- ri verba cito ) in dolatis ex ligno codicellis epistolarum colloquia scribe- bantur. *Vnde* & portatores earum Tabellarios vocauerunt. Quæ transcripta moneo ex Hieronymi epist. XLII. Festus eidem rei: Tabellis, inquit, pro chartis vtebantur antiqui; quibus vtrò citroque certiores absentes faciebant: *vnde* adhuc Tabellarij dicuntur, & Tabel- la missa ab Imperatoribus. Inde Plautus Epistolam circumscribens Pseudolo:

Per ceram & lignum, inquit, litterasque interpretes.

Et paullò post:

Pro lignea salute vis argenteam remittere illi:  
Iiusmodi Tabule Homero etiam notæ: apud quem Proctus lit- teras

A 2

Iliad. 5.  
ver. clxxix.  
\* Siue, du-  
plice.  
Lib. xiv.

teras Bellerophonti tradit scriptas è πίνακι πύρτες, in tabellā \* plica-  
tā. Fieri solitae inductā cerā, è fago, abiete, buxo, tiliā siue phyli-  
rā, acere, citro, ebore, quæ omnia exemplis firmare non hīc locus.  
Vsi tamen & chartā ad hanc rem: idque ex Martialis lēmmate  
facilē colligas, *Chartæ epistolares*, quod nomen hodieque Epistolæ  
tribuunt Hispani. Sed siue Tabella, siue Charta, paullò alia ta-  
men eius quām hodie forma. Pagellæ enim erant, & species ini-  
nuti libelli. Hinc Ciceronis illa capies: \* *Extrema pagella pupugit  
me tuo chirographo.* \* Et, *Altera iam pagella procedit.* Excipio, quod  
\* Lib. 11.  
ad Cœliū.  
epist. xiiii.  
\* Lib. 11.  
ad Brutum.  
epist. xxv.  
\* Cap. lvi.

publicas litteras ad S. P. Q. grandiore formâ, & transuersâ chartâ  
scribebant, scilicet quasi Historias. Suetonij hæc mens in \* Julio:  
*Primus epistolæ ad Senatum, ad paginas & formam memorialis libelli  
convertisse fertur, cùm antea Coss. ac Duces nō nisi transuersâ char-  
tā mitterent.* Cui Isidorus dat lucem: *Quedam nomina librorum  
apud gentiles certis modulis conficiebantur: breuiore formâ, Carmina  
atque epistola; at verò Historie maiore modulo scribebantur.* Et hinc  
\* Epist.  
xlv.

\* Senecam explico: *Epistola non debet sinistram manū legentis implere.*  
quod scilicet referendū ad angustias & minutā libelli formam. •

## C A P V T I I.

*Quid sit Epistola, & que eius partes.*

D E F I N I O autem Epistolam: S C R I P T U M A N I M I  
N V N T I V M A D A B S E N T E S, A V T Q V A S I A B-  
S E N T E S. Animi nuntium dixi: quia finis Epistolæ duplex;  
aut affectui testando, aut rci significandę. Illum, ingerit Ambro-  
sius ad Sabinum: *Epistolarum r̄sus est* (inquit) *vt disuneti locorum  
intervalis, affectu adhæreamus:* Hunc alterum, Cicero ad \* Curio-  
nem: *Hac causa si inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus absentes, si  
quid esset quod eos scire, aut nostrā aut ipsorum interesset.* Et ante eum  
† Turpilius: *Sola res est † que homines absentes, presentes facit.*  
Rectè igitur dixi, *absentes*. sed addidi etiam *quasi absentes*: quòd  
interdū ea usurpata ad præsentes. Ita Augustus \* sermones grauio-  
res cum Liuiā suā non nisi in scriptis & è libello habebat. Et idem Iu-  
liam suam in Amphitheatro \* admonuit scripto. Quin mos ille sub  
\* Tac. i.v.  
Annal.

\* Lib. 11.  
\* Apud  
Hier. ep. st.  
xlii.  
† Velim  
trāponi, vt  
fiat Tro-  
chaicus:  
homines  
absentes  
qua pres.  
\* Sueton.  
cap. xxciiv.  
\* Macrob.  
ii. Satur.  
\* Tac. i.v.  
Annal.

*res cum Liuiā suā non nisi in scriptis & è libello habebat.* Et idem Iu-  
liam suam in Amphitheatro \* admonuit scripto. Quin mos ille sub  
Tiberio principe \* etiam præsentem scripto adire. quem originem  
sumpissime à Julio Cæsare ex Plutarcho colligas: qui *primus* (in-  
quit)

INSTITUTIO EPISTOLICA.

5

quit) rationem repperit amicos per litteras conueniendi , cùm coram a-  
gendi nec occupationes nec magnitudo urbis semper occasionem daret.  
Atque id genus propriè Codicellos appellabant. Senecæ ea mens.  
epilt. LVI. *Video te mi Lucili cùm maximè, audio. adeò tecum sum, ut  
dabitem an incipiam non epistolæ, sed codicillos tibi scribere.* Hæc de-  
finitio Epistolæ. ex quâ partes præcipuas eius duas facio: Mate-  
riam & sermonem.

CAPUT III.

*Materies definita, diuisa, & de præmissis Epistole.*

**M**ATERIEM dico R E M Q V A E S V B I E C T A S C R I-  
MPTIONI. Ea duplex, Sollennis & Varians. Sollennis,  
Q V A E I N O M N I E P I S T O L A, E A D E M AVT P A E N E  
E A D E M, E T Q V A S I E X F O R M V L A R E C V R R I T.  
Qualia sunt, Praeloquium, & Clausula. Praeloquium intellego;  
Q V O D E X R I T V P R A E M I T T I T V R : vt Nomina & Sa-  
lus. In Nominibus olim receptum, vt in ipsâ fronte epistolæ bi-  
na semper ponerent, Suum & Alienum : illo præposito, etiam ad  
dignorem. Cum causâ. quoniam prima legentis cogitatio & de-  
siderium, est scire à quo missa . Etiam hoc seruatum, vt nomina  
nuda, nec blandientia aut laudantia verba , sibi alterive tribue-  
rent. excipio, si quis in imperio aut magistratu. Tum enim verbo  
additum *P. Sernilius Rullus Trib. pl. x. vir Cneo Pompeio procon-  
suli.* At Epitetha nulla : nisi ad vnicè caros aut domesticos . quos  
interdum *Humanissimos, Optimos, Suauissimos, Suas animas* appella-  
bant, & receptissimo verbo *Suos* . Quod postremum interdum  
etiam ad leuiter notos usurpabant. vt apud Liuium: *Prætores Sy-*  
*racufani Marcello Suo.* Prisci interdum : sed labens ætas passim &  
omnibus dedit. adeò vt Imperatorem ipsum *suntquam* familia-  
riter *Suum* salutet Plinius in magni operis præfatione . Ab hac  
mente Martialis :

Lib. xxiv.

Lib. xiv.

*Seu leuiter noto, seu caro missa sodali,*

*Omnis ista solet charta vocare SVOS.*

Et in Plinij Iunioris epistolis vix aliter legas : sicut & Pandecta-  
rum aliquot locis. Olim ista: Ego hodie temperem ad usum no-  
stri ævi, & alieno ingenio intedum seruam potius, quam meo.

A 3

Ad

## 6 T U S T I L I P S I

Ad doctos, probos, simplices simplicia hęc seruem: ad magnates aliter; nec temerē nomen meum præposuerim, & appellandi formulā potius scripserim, *Maxime Rex, Illustrissime Princeps, Amplissime Domine, &c.* Misera ostēatio scientiæ, quæ risu aut offendit debet; utique in epistolā, quę tum deinū recte scripta, cùm videtur illi cui scripta. At de Salute, clarum est olim eam post ipsa Nomina adiectam: haud dubiè ex colloquiorum more, quo

Vide Dio-  
gen. Laert.  
in Plat.

in occursu statim salutamus. Græcis simile: quibus *χαιρεῖ* precari in vsu fuit, aut *ὦ ξέχει*: quę Epicuri salutatio: aut *ὦ πάτερ*: quod disputatiunculā quādam p̄fert Plato ad Dionysium. Horatius,

*Epist. III.* non præter solitum Græcus, expressit ista:

*Celso gaudere & benè rem gerere Albinouano  
Musja rogata refer. —*

In Phocio-  
ne.

Omittebant hęc interdum, & præsertim Reges, quasi per maiestatem. Plutarchus notat: *Alexandrum, victo Dario, abstulisse ab epistolis, τὸ χαιρεῖ, ( illud Saluere, ) exceptis quas Phocioni scribebat. quem vnu, sicut Antipatrum, competitabat, post Salutem dictā.* Pertinere etiam ad Prae loquium videatur vetus ordiendi formula, S.V.B. E.E.V. quæ in priuatis litteris frequens; in publicis perpetua, etiam posteriorē æuo. Concipi solet & his notis: S.V.G. E.V. id est, *Si vale, gaudio, ego valeo. Quę apud Oppium de bello Hispanien-  
a lectæ, frustra turbant & ad mutandum impellunt eruditos.*

## C A P V T I V.

*De ijs quæ ad finem Epistole, itemque de Signo.*

\*. Trist.

**A**D Clausulam venio: quam appello T E R M I N U M EPI-  
STOLAE ET FINEM. In eā hęc quinque sollennia ferē-  
insunt: 1. *Valedictio*, quæ inserta pariter ex sermonis ritu, quo ab-  
eunte alter alteri benè precamur. Expressa antiquis simplici ver-  
bo Vale. Ouidius:

*Accipe, quo semper finitur epistola verbo,  
Atque meis distent ut tua fata, Vale.*

Interdum Hanc, *Salve*: nec indecōre cum adiectiunculā *mi anime,*  
*mi suauissime.* Aut alio verbo ad argumentum apto: *Vale & veni,*  
*Vince & vale.* Interdum & voto concepta: *Deum precor ut te ser-  
uet, consilia tua fortunet, &c.* Quę omnia cum iudicio imitāda aut  
immu-

INSTITUTIO EPISTOLICA.

7

immutanda pro re & personâ. i. Loci adiectionis. quæ necessaria inter absentes: nisi si de eo planè constet. Itaque Ciceroni crebro omissa: & in pari causâ omittenda nobis. ii. Temporis. in quo dies semper; annos plurimum; horas interdum notatas inuenies. iv. Subscriptio. quæ priscis ignora: nisi forte in litteris ad Imperatores; quibus subscriptum per speciem honoris & obsequij, \* De notis se esse. Nos tamen usurpatimus. nec daimno apud grandes aut ignotos: apud familiares vacuum videatur, immo vile. v. est Superscriptio. quæ nobis inter legitima, veteribus raro fortasse usurpata. Dabant enim plerumque & mittebant per Pueros suos aut Tabellarios notos; nee aliud in exteriore epistolâ quam Sigillum & Linum. Illud plerumque erat \* Imago propria, aut aliquius è maioribus, impressa ceræ sive cretae. De cerâ notum est: de creta, venisse in hunc usum Cicero ostendit iv. in Verrem: Si enim iste animaduertit in cretula. Et pro Flacco, Africam cretam in hac re appellat. Linum fuit, vinculum quo epistola obligata, & cui signum ipsum impositum impressumque. Plautus:

*Cedo tu ceram ac linum: age, obliga, obsignacito.*

Nec aperire epistolam fuit, nisi illo soluto. Inde apud Curtium: At Parmentio vinculum epistole soluit. Apud Ciceronem: Incidere linum. & passiuâ vulgataque phrasî, Soluere epistolam. Ferè autem signum cum eo fractum. ideoque iubebant semper ante apertio- nem Signa agnoscî, fidei causâ. In Plautinis:

*Accipe, hem cognosce signum.*

Icerum:

*Cape, signum noscē.*

Cicero in Catil. Ostendi tabellas Lentulo, & quesivi cognosceritne signum? Annuit. Est verò inquam imago avi tui clarissimi viri. Sallustius: Pellebitis litteris, cum prius omnes signa sua cognouissent. Hoc curiosè ideo: quia signo corrupto facile & tunc negare à se scri- ptam. vtique cum dictassent (vt sâpè) & alienâ manu esset. Ita olim. nec tamen rigidè abnuo, quin aliquando superscriptum. Plutarchus in Dione, inter plures epistolas quæ adlatæ, via d' lez, inquit, ηεισιν δημητριου, τοι παρπι παρπι Ιππαριν: Una erat exteriùs inscripta, Patri ab Hipparino. Quod pro eorum opinione sit, qui vo- unt ea quæ in capite ac fronte epistolarum veterum semper le- gimus, fuisse Tabellarij causâ, in earum dorso. Sed quidquid hu- ius sit,

\* Ex Dio-

ne lvi.

Suet. Tib.

xxxii.

Et priscis

lapidd. D.

N.M.Q.

E. id est,

Denotus

Numina

Maiestas

tig. eius.

\* Sine aliis

aliquâ ve

Augustus

Sphyngi si-

gnare sole-

bat, postea

imagine

Alexandri,

postremum

sua.

Lib. vii.

ius sit, nobis superscriptio usurpanda: siue ob ignotos ignorantesque Tabellarios, siue magis ob receptissimum morem, cum quo frustra pugnemus. Quin & Titulis, eodem auctore, vti suadet: sine ambitione tamen aut profesa nimis adulacione. Hæc Sollennis Materies epistolæ, in quam licet aduocem Epistolas totas, quas *Formales*\* Suetonius appellat. Ex de vnâ aliquâ re, vnâ ac simili formâ, ad plures scribuntur: in negotijs publicis, inque aulis Principum etiam hodie usitatæ. quas ipsas *Canonicas* (nisi fallor) \* Cassiodorus appellat.

\* In Do-  
mit. cap.  
xiiii.

\* Eib. iij.  
Var. Epist.  
xxiiii.

## CAPUT V.

*De Materie variâ, eiusque sectione.*

**A**T Variantem Materiem appello, QVAE DIVERSA IN QVAQUE EPISTOLA EST: IPSA OCCASIO SCRIBENDI ET CAVSSA. Ea multiplex: nec minus latè patet quam hæc vita. Quid enim rei diuinæ aut humanæ est, quod non sermone communicamus? ergo & Litteris, quæ alter sermo. Sed tamen diffusam coercere his terminis posse videor: vt omnis ea sit triplex: *Seria, Docta, Familiaris*. SERIAM dico, quæ ad publica aut priuata pertinet, sed uberiori ea tractat, & cum curâ. Id genus inter publica sunt: *Narrationes, Dissertationes, Deliberationes, de statu rerum, de militiâ, de pace, & his talibus*. Inter priuata: *Consolationes, Admonitiones, Petitiones, Obiurgationes, Excusationes, Suasiones, Laudationes*, & uno verbo, quicquid paullò magis serio scribimus, & vnâ in re velut figentes pedem. Quod genus sèpè incurrit, & plerumque necessariò, interduim animi causâ, usurpatur. DOCTAM dico, quæ ea quæ ad scientiam aut sapientiam, continet; & res non epistolæ, epistolæ rête velat. Talis triplex: aut enim Philologa est, & in amœnioribus studijs occupatur, vt olim Varrois *Quæstiones Epistolicae*, Valgij Ruffi *Quæsita per Epistolam*. Aut *Philosopha*, & de Naturâ vel Moribus agit: vt Senecæ nostri epistolæ; sed & Platonis. Aut denique *Theologa*, quæ in sacris rebus dedita: vt sunt Augustini, Hieronymi, Cypriani, Basilij, Gregorij vtriusque. Denique FAMILIAREM dico, quæ res tangit nostras aut circa nos, quæque in assidua vitâ. Ea propria & creberrima Epistolæ materies; & si verum fateri volumus, germanæ

## INSTITUTIO EPISTOLICA.

germanæ illius vna. Cui priora illa duo, *Seria*, inquam, & *Docta*, sapè admixta: sed admixta; variumque ei semper nec simplex argumentum.

### CAPUT VI.

#### *De Inuentione pauca & Ordine.*

SATIS de vniuersâ Materie dictum: de Inuentione & Ordine addendum aliquid est: sed breuiter. Nam ad Inuentionem vberibus præceptis quid opus? Cùm semper ea prompta; nec ad Epistolam scribendam veniatur nisi argumento concepto, & mente ( vt ita dicam ) tumente. Quod in *Familiaribus* verisque Epistolis perpetuum est: In *Serijs* aut *Doctis* paullò aliter. quibus quomodo aggerenda aut amplificanda Materies sit, nihil hîc ego: sed Rhetorum te libri docebunt. Nec in *Ordine* quidem admodum labore: qui optimus in Epistolâ, neglectus aut nullus. Ut in colloquijs incuriosum quiddam & incompositum amamus: ita hîc. Adeò ut nec in Responsionibus ordine & distinctè ad capita semper respondeamus: sed vt visum, atq; vt hoc illudve in mente aut calatum venit. Omnino decôra est hæc incuria: & magnus \* Magister rectè monuit, *Epistolas debere interdum hal-lucinari*. Itaque ille ipse hæsitat, reuocat, turbat, miscet: nec quam magis curasle videtur, quam ne quid curæ præferret. Tamen in *Serij*, non nego de Ordine paullò magis satagendum: sed ita, vt semper infra Oratoriam illam diligentiam consistas, & imitere eam, non æques. Præceptis cur te alliges? Ut Imperatori in acie certus aliquis ordo est, nec tamen unus: sic tibi in omni matrice; quam pro re, pro iudicio dispone.

\* Cicero  
ad Attic.

### CAPUT VII.

#### *De Sermone, que de eo dicenda; & primùm de Breuitate.*

VENIO ad Sermonem: cuius causâ, fateor, Institutio hæc suscepta. Nam de Materie, totuim mediocris cuiusdam prudentiae est: & vix peccatur. at in Sermone, Labor & Error est; nec corpus illud hodie crebrò cultum vidimus (liberè effero) denti hac veste. Sermonem appello, **ELOCUTIONEM ET STILI**

STILI MODVM EPISTOLAE APTVM. Is vt talis fiat,  
 dupliciterum considerabo: *Vniuersè & Distinctè*. Vniuersè, in  
 toto Habitū & conformatiōne epistolæ: Distinctè; in partibus, id  
 est *Phrasī & Verbis*. De Habitū igitur sermonis epistolici, præci-  
 pio vt quinque ista serues: *Breuitatem, Perspicuitatem, Simplici-  
 tem, Venustatem, Decentiam*. Prima illa, prima mihi sermonis vir-  
 tus est: adeoque epistolæ propria; vt, si longior, (cum Demetrio  
 sentio) Libri iam noimen assūmat, Epistolæ amittat. Cùm tam  
 multa ea nuntiet, quā debet multis? Addo, quòd vt in sermone  
 aut fabulis, sic in epistolis odiosa garrulitas. Quam tamen, quod  
 obserues, imperitissimus quisque affectat; & loquentes ferè plu-  
 rimū, qui minimū eloquentes. Vt corpore tenues, veste se di-  
 latant; sicqui ingenij aut sapientiæ inopes, diffundunt se verbis.  
 At Breuitas mihi amata, & ijs qui sapiunt: si tamen cum Iudi-  
 cio ea usurpata & Modo. Peccari enim & hīc posse scio: & vt in  
 sagittā mittendā, non minūs aberrat qui citra scopum, quam qui  
 ultra iaculatur; sic in scribendo, quisquis pauciora quam pro re,  
 aut plura dicit. Modum autem à materie specto. si *Seria* Episto-  
 la aut *Sapiens*; diffundi paullò magis velim, & rei per se graui ad-  
 di verborum aliquod pondus. Si *Familiaris*, contrahi: nec res te-  
 nues ac multas onerari laciniā sermonis. Scilicet vt vela pro ma-  
 gnitudine nauium: sic verba debent esse, pro rerum. Iudicium  
 porrò sumo à personis; idque dupliciter: A *Qualitate*, à *captu*. Ab  
 illâ: vt si ad Ignatos aut Magnates scribitur; vberior & floridior  
 paullò epistola sit. quia stricta illa breuitas apud hos tales, non  
 abest à contemptu. Aliter, si ad amicos aut æquales. A *Captu*: vt  
 si ad leuiter doctum aut acutum; si ad iuuenem. extendam tunc  
 profectō, nec tenebras ingenij offundam per se parūm claris.  
 Atque id mihi in omni personā valdē notā: vt illi, inquam, te sti-  
 lumque tuum attemperes. quoniam caput artis, scribere accom-  
 modatè. Quā fiet igitur Sermo breuis? obseruatione triplici: *Re-  
 rum, Compositionis, Verborum*. *Rerum*; vt supervacuum nihil ad-  
 misceas, nil repetas; imprimis non capita ad quæ respondes. *Com-  
 positionis*; vt structuram & periodum longiorem omne in fugias:  
 membris utare, & asyndetis sāpē. *Verborum*; vt lātior omnis  
 phrasis, allegoria, imago abdicetur: parca & pura oratio sit, ne-  
 cessariā supellectile verborum contenta.

Habes

## INSTITUTIO EPISTOLICA.

ii

Habes de Breuitate; quæ viris mihi dicta, non iuuentuti, sunto. adeò enim hanc ad eam non voco, vt etiam absterream: siue quietutò adsumere vix potest, & Breuitatis imitatio facillimè ætatem hanc decipit: siue quia nec vtiliter potest, & iuuenili illo breuitatis studio (sæpè vidimus) aridus plerumque & excessus stilus euadit. nec facile ad laudatam illam temperiem venitur, nisi initio vberitas quedam & luxurias sit, quam ætas paulatim depascat.

### CAPUT VIII.

*De Perspicuitate; qui peccetur in eam, qui pareatur.*

VIRTVS altera, *Perspicuitas*; de industriâ à me Breuitatis subtexta, quia periculum magnum huic ab illâ. Quàm ardua, quàm rara illa Breuitas, quæ non præteruolet aures aut defraudent? in quâ legentis sensus non opus sit intendi? Atqui semel hoc imbibe: summum in sermone vitium esse, non solùm non capi, sed etiam ègrè capi. In quo peccant quidam Naturâ, qui ipsi obscuri & reconditi talia efferunt: plutes, Studio; qui nihil doctum aut laudabile putant, nisi reconditum, & quod fugiat vulgares mentes. Stulti! quia malè ingeniosus ille, ad quem capendum opus est ingenio: præsertim in Epistolâ, quæ arbitrium aut interpretem non querit. Clarè ergo scribito, si potes, & breuerter, sed ita, vt hoc laudis esse scias; illud necessitatis. Clarus autem sermo erit, præcepto triplici: Si verba in eo propria; si vñita; si collocata.

### CAPUT IX.

*De Simplicitate duplice; & ad hanc monita.*

TERTIA M virtute posui Simplicitatem: intellectu duplice, quia & in Stilo eam exigo, & in Mente. De Stilo: sum, & veterum exemplo testatum est; simplicem eum esse bere, sine curâ, sine cultu; simillimum cottidiano sermoni. Ita Demetrius, vt Dialogum, Epistolam scribi vult: & ipse Cid, terci eam quotidianis verbis. Seneca appositiè: Qualis sermo esset, si vñda federemus aut ambularemus, illaboratus & facilis:

B 2 tales

*tales volo esse epistolæ meæ.* Quod féminas ornare dicitur, non ornari: hoc epistolam. quām sequi decor debet, non ab eâ aut in eâ affectari. At de Mente: ita intellego; vt simplex quiddam & ingenuum in totâ scriptione eluceat, & aperiat candorem quemdam liberæ mentis. Nullâ enim ex re imagis natura cuiusque & certa indeoles clucet ( Demetrio verè scriptum) quām ex epistolâ. Itaque optima ea tibi repræsentanda, & imprimis illi ad quem scribis amica. vt inquam lenium affectuum & benevolentiae illud, vt sic dicam, saccharum, inspergatur, fiatque delectabilis, & ad legentis gustum. Quo in genere Cicero vnicus, & vnicè imitandus. Præceptis enim alijs res non continetur. Cautio-nein addo siue exceptionem: pro re interdum epistolam assurge, & paullò studiosius scribi ( vt in Serijs:) sed tamen ita, vt simplicitatem totam non exuat; & ornamenta interdum habeat, lenocinia numquam. Nam illæ quæ ad pompad & ostentatiō nem ingenij scriptæ ( quales Philostrati & Phalaridis, item Synesij & Plinij nonnullæ) nescio an tueri nomen veræ epistolæ possint apud iudices veros.

## C A P V T X.

*Iunctim de Venustate & Decentia.*

**R**E LI QV AE mihi duæ virtutes, *Venustas & Decentia:* et si-vix reliquæ. Vtraque enim eiusmodi, vt admonere de eâ breuiter possim, non docere. Illa ab Ingenio rora est; hæc à Iudicio: quorum vtrumque spernit ligari præceptorum his vinclis. *Venustatem* appello; cùm sermo totus alacer, viuus, eretus est, & alli-cientem quamdam gratiam *Veneremque præfert*. Quod natura ferē dat: nonnihil tamen & duplex hæc monitio. Primū, vt Adagia Allusionesque ad dicta aut facta vetera, versiculos aut argutas sententias vtriusque linguæ interdum immisceas. Secundū, vt ioci salibusque opportune condias; quos animam & vitam epistolæ esse non fugiam dicere.

At *Decentiam* intellego, id quod Græci πόνησαν: quæ tum in epistolâ, cùm omnia aptè & conuenienter scripta. Quod fieri aspectu dupli: *Personæ & Rei.* *Personæ* dupliciter; si tuam respi-cis, & eius ad quem scribis: *Rei* autem, simpliciter; vt omnia pro argumen-

I N S T I T U T I O E P I S T O L I C A.

13

argumento; & sententiarum phrasiumque vestis apta sit corpori rerum. Magna haec, sed occulta virtus: nec immerito \* Cicero \* In Orat. monuit, *ut in vita sic in oratione, nihil difficilius esse, quam quid deceat,* ad Brutum. videre. Nec verba huc perdam: quia scio Iudicij totam hanc rem esse: quod à Deo & à naturâ pete, non ab Arte.

C A P V T X I.

*Ad Sermonem distinctè transitum. eum parari fmitatione: ad hanc tria praecepta. & primùm de ijs qui, & quando, legendi.*

DIXI vniuersè de Sermone: magis distinctè ad partes eius transeo, Phrasim & Verba. Illam appello, VOCES DVAS AVT PLVRES IN SENTENTIA IVNCTAS: Haec, VOCES IPSAS SINGVLAS. In illis Elegantia & Nitor requiritur: in his Latinitas & Proprietas. Ea omnia hodie, vel ex Auditu haurienda sunt, vel ex Lectione. Ex illo leuiter; quia nec adhærent audita animis, æquè ac lecta: nec est ferè ut optima audiatur. quia & rarus Latinus sermo, & pauci eā curā loquuntur quā scribunt. Itaque doctissimi ac disertissimi, sæpè in sermone alij, nec temerè exemplum vidimus aut videbimus eloquentiæ, quam formauit Auditio sola. Lectio igitur magis tuta, magis utilis. sic tamen, vt fmitatio ei adiuncta sit: sine quā languida haec, imò vana. fmitationem dico, SERMONIS NOTRI AD SERMONE M VETERE, APTAM CONFORMATIÖNEM, ET STILO EXPRESSAM. A quā (vno verbo dicam) spes omnis crescendi huic segeti Phrasium & Verborum. Nam Ars alia, quicquid conentur, non magis differtos fecerit, quam vates somnium in Parnasso. De illa igitur cum curā & ad usum dicam: & quidē haec tria, Quos & Quando legas: *Quid & è quibus feligas: Quid exprimas & quid vites.* In primo: utinam ea copia scriptorum hodie, vt iure ambigua haberi hæc lis possit! Pauci relieti veteres: quis controuerteret quin ij legendi omnes sint? nisi fortè nuper aliquot Itali, qui in arctum rediuerunt eloquentiam concluserunt finibus tantum Tullianæ lectionis. O vani & fastidiosi! non solū præter mentem magistrorum veterum, sed præter rationem præterque usum. Quos. nunc non refello; & adhæsisce olim me scio paullò iuuenilius,

B 3

donec

donec repressit & reuocauit maturioris iudicij frēnum. Tu mecum, omnes legendos imitandosque tibi certò statue: non simul tamen aut omni æuo. Discrimen aliquod temporum est, quod vtiliter enorabo. Est *Puerilis* quædam & prima Imitatio, est *Crescens*, est *Adulta*: In illâ primâ, Italorum hæresis mihi placet: & aliquamdiu Cicero non præcipius solùm legatur, sed solus. Cui fini? vt corpus scilicet illud & contextus orationis primùm seriò formetur vno quodam habitu, & equabili sermonis filo. Nescio an idem censerem, si Caluus, Cælius, Brutus, Cæsar, & alij è classe Oratorum extarent. Sed, vt hodie res est, quis præter Tullium periodos, membra, numeros, & continuatam illam orationis seriem nobis suggesterit? A quâ, me quidem iudice, necessariò initium faciendum iuuentuti. Vt pictor cùm tabulam accepit, primùm hominem totum delineat; colores mox aptos querit, & addit cuique parti: sic meus Imitator, corpus eloquentiæ suæ formet, pigmenta deinde variè conquirat. Nisi facit, (crede inuentus, aut serò credes:) hiulca semper, in composita, & è varijs varia quædam stili forma gignetur, nec sat sibi constans. quotidie video; & peccati causam non ignoro. Cicero igitur primus primas teneat: & teneat solus. Sed quamdiu? pro ingenijs tempus definiā: in molliore aliquo, annum; in duriore, alterum etiam annum. Et addo non inutiliter, sub hanc ipsam curam, Manutij epistolas, Sadoleti, Bembi, Bunelli, atque in primis Longolij nostri, legi posse. non quia ipsi (liberè dicam) valdè probi; sed quia puerili quodam affectu Ciceronis illam orbitam anxiò pede preserunt, ideoque per eorum vestigia tutior & facilior tibi cursus. At in *Crescentem* & *Iuueniem* Imitationem alios admitto: sed successu tamen; nec vt saltu pergas, sed per quosdam velut gradus. Itaque meo-consilio, eos hîc primùm adeas qui à Cicerone minimum abeunt, & qui copiâ, suavitate, fluxu dictionis, referant beatam illam facilemque naturam. Qualis Fabius in primis, & nonnihil Q. Curtius, Velleius, Liuius, Cæsar: similiores futuri, nisi retinuisset & stitisset alia species argumenti. Hos igitur tunc lege, sed leuiter: at cum omni studio Plautum & Terentium; qui semel corpore illo Sermonis & tamquam ædificij formâ constitutâ, vtilissimè adhibebuntur ad poliendas omnes partes. Verborum proprietas

tas à quibus petatur melius : à quibus Phrasium ille nitor Atticus? Iam venus , & lepor & comitas à quibus vberius hauriatur, quam à meo comicō? Plautum enim hīc solum intellego; & præpono(nec impono:quia ex animo ita sentio) omnibus, qui in Latio aut Græciā imbuerunt chartaceum hoc æquor. Hi ad Epistolam (de Orationibus enim aliter censeo) & familiarem scriptiōne in primis apti: quia reuerā epistola quid aliud,quam cottidiana dissertatio ? vt non errārit Artemo apud Demetrium, qui censet eodem modo Dialogum & Epistolam scribi . Et Plinius ab eādem causā, epistolas matronæ cuiusdam dilaudans, cum Plauto & Terentio metro solitus eas componit . Quin ipsum Plinium, in secundā hac classe iure colloco, tersum, acutum, nitidum: sed non sine delicijs molliculum interdum , & parvum virum. Cui comitem nouum do, sed maiorem nouis, Etruscum illum Angelum, qui (nisi quod affectatæ interdum & quæsitæ in eo argutiæ )cum illis ipsis pari passu decurrere posse videatur Epistolarum hunc campum.

Hoc velut tirocinij biennium sit: quo manus hæc stili coēr-cenda non nihil intra puram togam . cui iam deinceps, in *Adul-tā* Imitatione, liberè permittam exserat se & vagetur per scriptorum omne genus. Legat, videat, & flores ex omni prato carpat ad Eloquentiæ hanc corollam . Sed in primis suadeam Sallustium, Senecam, Tacitum, & id genus brevium subtiliumque scriptorum iam legi , quorum acutâ quasi falce luxuries illa paullisper recidatur; siatque oratio stricta, fortis, & verè virilis.

Finij de parte primâ: nisi quod leuiter addo, perutile futurum quendem illum Ciceronem legi cottidie & relegi ; vespertinis præsertim horis, &, si oportunitas feret , sub ipsum somni tempus. Mens tunc nescio quomodo melius arripit, retinet , & conservat per quietem. Tenta, reperies in leui monito non leuc momentum.

*De Excerptis; quo ordine ea instituenda, & a quibus singula carpenda.*

**Q**VID feligas & Aquibus, partem feci alteram. de quâ et si exemplis dicere facilius possem, quam scriptis; tamen breuiter hæc habe. Lectionem ipsam non sufficere, ne repetitam quidem, imò nec in felicissimâ memoriam: sed opus esse Excerptis quibusdam & Notis rerum verborumque singularium, quas imitemur: quæ excerpta Memorialibus libellis, tamquam æratio, contineri velim, vnde sermonis illæ opes per tempus & ad usum promantur. Fieri autem libellos triplices: unum, quem Formularum dixerim; alterum, quem Ornamentorum; tertium, quem Dictionis. Duo illi ad sermonem vniuersum magis pertinent, tertius ad distinctum. In primo, Formulae mihi duplices: Ad contextum istæ: *Ordendi, Narrandi, Continuandi, Transiendi, Abrumpendi, Claudendi*: Ad Materiem, istæ: *Rogandi, Gratiæ agendi, Operam offerendi, Laudandi, Vituperandi, Affuerandi*: & quicquid istarum rerum communium est, quæ in epistolam creberrimè incurunt. Secundus, *Ornamentorum* liber est. in quo distinetè & per capita collocauerim hæc: *Similitudines, Allegorias, Imagines, Acutiora dicta, Sententias*, & si qua eiusmodi illustraria lumina sermonis, Tertius, *Dictionis*. quam diuido in duas partes, *Phrasum & Verborum*. Phrases quidem enotari velim, quæcumque insigniores aut nitidiores occurrent: Verba, quæcumque rara, noua, aut novo sensu siue flexu usurpata. In Phrasibus dispositionem non video; nisi quod seorsim eas ponи velim, pro discrimine scriptorum: Tullij solas, Plauti & Terentij solas, Historicorum solas: quod quisque pro iudicio suo aut industriâ facito. In verbis ordinem solum seruem Alphabeti. Hæc sunt quæ selegi velim. Sed à quibus? non enim promiscue ab omnibus: sed ad iudicium paucis tibi sic præibo. *Formularum* liber à Cicerone maximè compleatur; addo Plinium, Politianum, aut si quid aliunde transferre aut haurire poteris opportunè. *Ornamentorum*, à Cicerone, Fabio, Plinio, Historicis, Seccâ, etiam à Græcis, & in primis Plutarcho. *Phrasum* exempla à Cicerone maximè, & Comicis petantur; non nihil ab Historicis,

INSTITUTIO EPISTOLICA.

istoricis, atque etiam ab alijs quos non attigi, Varrone, Agellio,<sup>17</sup>  
Suetonio, Iurisconsultis, iimò & interdum Appuleio.  
*Verborum*, vno verbo, ab omnibus: nec inutiliter etiam à  
Grammaticis & Glossarijs antiquis.

CAPVT XIII.

*De Expressione & formatione Stili, per tria genera Imitationum.*

TERTIVM illud vtilissimum sequitur, Quid exprimas, &  
quid vites. Frustrà enim priora illa duo, si non istud: nec  
lectio aut selectio adiuuerint, sine probâ expressione. Ea vt talis  
sit, per triplicem Imitationem distinctè te ducam, & quid sequan-  
te in vnaquaque dicam, & quid vites. In *Puerili*, duo hæc tibi  
propone. Primò, vt formulas in primis & communia illa conte-  
xtus totius imitare: secundò, vt ductum, numeros, lineamenta  
& faciem Tullianæ orationis. Et imitare, non industrie solum,  
sed pænè adfectatè & cupidè: sic inquam, vt color quæsitus &  
fucus appareat, iimò & furtum. Vt pueros nihil pudet, cum scri-  
bere discunt, per singulos litterarum apices alienâ manu duci:  
non item hîc te. Clausulas, membra, & periodi cuiuspiam par-  
tem cum veniâ sæpè inseres, & Centonem è Tullij purpurâ con-  
texes, paullò post daturus tuam. Exercitij genus quod olim in  
Germaniâ huic tei proposui, dicere operæ pretium habeo, et si  
non dictare. Fuit tale. Hæc sequere: quid fugies? nihil, nisi ca-  
quæ Grammatici vitant. At in *Crescente*, crescat mihi paullif-  
per iudicium, & seruari præcipiam hæc tria. Primum, vt in furtis  
lam verecundior sis; non enim vltrâ decet. Secundum, vt in For-  
nulis exprimendis remissior; nō enim vltrâ opus. Sicut digiti in  
itharâ egrè & cum intentione initio ponuntur, ijdem postea ad  
hordas & numeros sponte veniunt: sic mens istis paullum af-  
refacta. Tertiūm, vt Phrases & Verba meliora vndique assu-  
mas; & forines, vt sic dicam, cutem illam orationis tuae exter-  
am. Atque hæc sanè præcipua hîc cura. quid vitandum? vi-  
um agnatum Verborum delectui, nimia asperitas aut antiqui-  
s. Quod in Comicis imitandis præcipue mihi caue, & ne quid  
t' fordidum ab ijs dictio tua trahat, aut obsoletum. Nam vt  
periti pictores in facie exprimendâ, rugam, næuum, verrucam

C

facilè

facilè imitantur, indolem negligunt, & ipsum vultum : sic sæpè adolescentes rara aut exstantia verba excerpunt, ingenium omitunt & genium dictionis. Quæ autem verba sordida? quæ iacent, repunt, è fœce vulgi & è triuijs sumpta, nec nisi iudicio discernenda. Quæ obsoleta? noræ duplicit: Naturâ & Opinione. Illa dixerim, quæ reuerà talia sunt: hæc, quæ sensu duimtaxat vulgi. Nam hodie ita inualuit, vt quicquid ignotum, nec tritum autibus imperitorum, obsoletum censatur; quamquam ab optimis aucto-ribus petitum, & ab optimo illo æuo. Priora igitur aut planè vi-tabis, aut non nisi cum excusatione & interfatiunculâ vtēris: ista etiam appetes, & intexes sermoni tuo tamquam gémas . De quo toto genere, opportuniùs monebo & instruam per exempla. Superest Imitatio vltima, siue *Virilis*: in quâ hoc præcipio, non tam exteriorem illum ornatum spectari debere, quam virtutes & cul-tum internum: id est, Figuras, Imagines, Acuminæ, & ea quæ ap-pellaui Ornamenta. In quo vna cautio, vt cum oratio perfici iam incipiat & summa illi manus imponi, καροζηλία vitetur & Affe-ctatio: infelix sanè vitium, & quod obrepit specie virtutis. Ea est, nimium cultus studium, & sine modo. Quod per te ægrè vi-deas aut vites: felix cui doctor hîc aliquis aut monitor amicus.

Hæc dictanda mihi nunc super Epistolis censui: cum fructu nonnullo eorum, spero, qui audierunt; vereor vt exiguo, qui tan-tum legent.

ΕΚ ΤΩΝ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ EX DEMETRII<sup>19</sup>

ΦΑΛΗΡΕΩΣ

PHALEREI

περὶ

DE

ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ.

ELOCUTIONE.

Ἐπεὶ δὲ καὶ ὁ Ἐπισολίκος  
χαρακτήρ δέσται ιχνότος,  
καὶ περὶ αὐτὸς λέξομδι. Αρ-  
τέμων μὲν τοῦ, ὁ τὰς Αεισο-  
τέλευτα γράψας ἐπισολάς,  
Φιστίν, ὅπει τὸν αὐτῷ Γερόπω  
διάλογόν τε γράφειν ἐπισο-  
λάς· εἶναι γὰρ τῶν Ἐπισολῶν,  
οἷον τὸ ἔτερον μέρος τὸ διαλό-  
γον. ὃ λέγει μὲν πίστως, καὶ μὲν  
ἄπται. δέ τι γὰρ ψωκατεσκύδα-  
ματι πιστικῶν μᾶλλον τὸ διαλόγον  
τῶν Ἐπισολῶν. ὁ μὲν γὰρ, μι-  
κῆται αὐτοχθονίας· οὐ  
δέ, γράφεται καὶ διώρυγν πέμ-  
πεται γρέπον πινά. τίς γουῶ  
ὕτως αὖ διαλεχθῆ πέρος Φί-  
λῳ, ὥσπερ ὁ Αεισοτέλης  
πέρος Αντίπατρος, ψωκὴ τὸ  
φυγάδιον γράφων τὸ γέρον-  
τον, Φιστίν; Εἰ δὲ πέρος αἴπα-  
σας οἰχεται τὰς φυγὰς, καὶ τοῖς  
ώσε μὴ κατάγειν, δῆλον ὡς  
τοῖς γε εἰς αἴδους κατελθεῖν  
βουλομένοις, αὐτοῖς φύοντος.

QVONIAM verò ex Epis-  
tolicus character Exilitate  
indiget, et iā de ipso dicemus.  
Artemo igitur, is qui Aristote-  
telis epistolas collegit et euil-  
ganuit, ait eodē modo oportere Dialogum & Epistolas  
scribi. Esse enim epistolam  
quasi alterā Dialogi partem.  
Et aliquid quidem dicit, non  
tamen omnia. Oportet enim  
epistolam paullò magis ador-  
nari et quasi extirri, quam  
Dialogū. Iste enim imitatur  
neglegenter et ex tempore di-  
centem: illa autē scribitur, et  
aliquo modo mittitur quasi  
donum. Quis igitur ita ser-  
mocinetur cum amico, sicut  
Aristoteles ad Antipatrum,  
super sene quodā exsule, scri-  
bēs ait? Si verò ad omnia ex-  
filia iste ita abiit, vt \* nō red-  
ducatur.  
eat: manifestum est, quod ne-  
mo inuidet ire ad inferos vo-

οὗτω διαλεγόμενος, οὐ προδεικνυμένῳ ἔοικε μᾶλλον, οὐ λαλῶντι. Εἰ λύσθε συχναῖ, ὅποιαὶ οὐ πρέπουσιν Πτισολαῖς· αὐταφεῖς γὰρ εἰς γραφῆς ή λύσις. καὶ τὸ μικρόν καὶ τὸ γραφῆς οὗτως ὄικεῖον, ως ἀγῶνος: οἶον ως εἰς τῷ Ευθυδίμῳ, Τίς λεῖ οὐ Σώκρατες, οὐ χρέες εἰς λυκείῳ μιελέγου; ηπολὺς υμᾶς ὥχλος φειτίκει. καὶ μικρὸν προελθὼν Πτιφέρει, Αλλά μοι ξένος τὸ φαινεται εἶναι, οὐ μιελέγου. τίς λεῖ; ηγένεται πάσα έριψεια καὶ μίμησις ψωκετῇ πρέπει μᾶλλον, οὐ γραφομέναις Πτισολαῖς. πλεῖστον δὲ ἐχέτω τὸ ηθικὸν ή Πτισολὴ, ὥστερ καὶ οἱ διάλογοι. χεδὸν γὰρ εἰκόνα ἔκαστος τῆς ἑωτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν Πτισολήν. καὶ εἴτι μὴ καὶ τέλος αλλὰν λόγου παύτες οἴδετε τὸ ηθονός γράφοντος. Καὶ οὐδὲν δὲ οὔτως, ως Πτισολῆς. τὸ δὲ μέγεθος σωματέλθω τῆς Πτισολῆς, ὥστερ καὶ η λέξις. αὐτὸς αὐγακούσκει, καὶ προσέπι κατὰ τὴν ἐρμηνείαν οὐ-

lentibus. Ναὶ qui ita differit, demōstrant i magis quam sermocinanti similis appareat. Et solutiones crebra in sermone, quales non decent epistolæ: quia obscurū quiddā in scriptione solutio. Et illud Imitatorius, non tamen scriptionis proprium, quam contentionis. Sicut in Euthydemō: Quis ille erat οὐ Socrates, cum quo heret in Lyceo disserebas? certe frequens turba vos circūsistebat. Et paullus progressus, infert: At mihi hospes quispiā esse videbatur qui cū loqubare. quis erat? Hac enim talis elocutio et imitatio, his trionem magis decet, non epistolæ scribētem. Plurimum autem Morale epistola habeat, sicut et Dialogus. Ferè enim animi sui simulacrum quisq; et imaginē, epistolam scribit. Et est quidem ex alia omni oratione videre ac noscere mores scriptoris: ex nullā tamen aquare atq; ex epistolā. Magnitudo autem epistola modica et contracta esto, sicut et dictio. Valde autem longa, et elocutione

καθέσερος, οὐ μά τινι ἀλλί-  
tione magis inflata, non, per  
τιμαι Ἐπισολὰ γένοντο αἱ,  
ἀλλὰ συγγράμματα, τὸ  
χάριν ἔχοντα περιγγεγραμ-  
μένου. κατάπερ τοὺς Πλά-  
τωνος πολλαὶ, καὶ Θύκυ-  
διδου, καὶ τῇ σωταῖσι μή-  
τι λελύθω μᾶλλον. γελῶν  
ἡ φειδώσιν, ὥσπερ οὐκ  
Ἐπισολῶν, ἀλλὰ δίκιας γρά-  
φων, καὶ οὐδὲ γελῶν μό-  
νον, ἀλλ' οὐδὲ φιλικόν. τὸ γοῦ  
δὶ κατὰ τινὶ παρεγγίαν, τοῖ  
σύκα, σύκα λεγόμενα, Ἐπι-  
σολῶν τεῦτε Ἐπισολῶν. εἰδέ-  
ναι δὲ τὴν ὅπιον ωχ ἐξημέναις  
μόνον, ἀλλὰντὶ περγυμα-  
τά πινα Ἐπισολῶν ἐστι. Α-  
εισοτέλης γοῦν, ὃς μάλιστα  
Ἐπισολῶν δοκεῖ τὸ τύπον  
Ἐπισολικοῦ. Τοῦτο δὲ οὐ γρά-  
φω σοι, φησίν· οὐ γὰρ λεῖτος Ἐπι-  
σολικόν. εἰ γάρ τις ἐπ Ἐπισο-  
λῆσθοφίματα γράφει καὶ φη-  
σολογίας, γράφει μήτι, οὐ  
μήτι Ἐπισολῶν γράφει. φη-  
λοφρένιοις γάρ τις βούλεται  
εἶναι ἡ Ἐπισολὴ σωθῆματος  
περιστολῶν περγυματῶν· εἰ-  
δεικτικοῖς αὐτοῖς αἴτιοις.  
καλλονοῖς μήτι τε αὐτῆς αἱ τε

Fidem, epistola sunt, sed Li-  
bri aut scripta Saluere illud  
habentia. sicut Platonis plu-  
rima sunt, & Thucydidis.  
Et constructione quidem e-  
pistola soluta esse debet ma-  
gis. Ridiculum enim per pe-  
riodos ire, tamquam non epi-  
stolam sed iudicalem cau-  
sam scribentem: imo non ridi-  
culū tantum, sed nec familia-  
re aut amicū. Illud enim quod  
proverbia fertur, Ficus, ficus,  
epistola oportet accommodare.  
Sciendum autem, quod nō so-  
lum Elocutio quadam, sed &  
Res sunt Epistolis propria.  
Aristoteles igitur, qui formā  
maximè epistola cocepisse &  
affecitus videtur, ait: Hoc ti-  
bi nō scribo: nō enim esset e-  
pistolicū. Siquis enim in epi-  
stola Sophismata aut cauillos  
scribat, aut Naturales differ-  
tiones; sribit quidē, non tamē  
epistolā. Come enim quiddam  
vult esse Epistola; breue; & de  
re simplici expositio, etiā ver-  
bis simplicibus. Pulchritudo  
enim eius est decor, amicabe-

Φιλοτικὴ φίλοφρονότεις, καὶ πυκναὶ παροιμίᾳ σπουδαῖ. καὶ τοῦτο γῳ μόνον στένει αὐτῷ σοφὸν, διόπτη μητροπολικὸν τὸν οὐτὸν η παροιμία καὶ κοινόν. ὁ δὲ γνωμολογῶν, καὶ περιτελέμων, καὶ διπλιστῆς ἐπιλαλεύοντος, ἀλλὰ μηχανῆς. Αειστέλης μὲν τοι ταὶ δύοδεῖξεις που χεῦται Ἑπιστολικᾶς. οἷον διδάξεις Βουλόμενος, ὅπις ὄμοιώς χεῦ διεργετῶντας μεγάλας πόλεις καὶ τὰς μικρὰς, φυσίν, Οἱ γῳ θεοὶ σὺν αὐτοφέρονται ἵστοι· ὡς ἐπεὶ αἱ Χάρετες θεαὶ, ἵσται δύοδεῖξονται σὺν παρ' αὐτοφέρονται. καὶ γῳ τὸ δύοδεῖκνύμφον αὐτὸν ἐπιτολικὸν, τὸ η δύοδεῖξις αὐτῷ. ἐπεὶ δὲ καὶ πόλεσι ποτε καὶ βασιλεῦσι γράφομεν, ἔσωσθν τοισταῖς αἱ Ἑπιστολαῖς, μικρῷ στήνειμεν πως σοχασέον γῳ καὶ τὸν περιστῶπον, ὡς γράφεται. Ὁ ἐπιρρήμψις τοι, τὸ οὐχ ὥστε σύγχρονα εἴναι αὐτὸν Ἑπιστολῆς, ὥστερ αἱ Αειστέλεους περὶ Αλεξανδροῦ, καὶ περὶ τοῦ Δίωνος οἰκείους η Πλά-

nigritas, εἰς crebra Proverbia inserta. Atque hoc unum sapiens insit epistola; quoniam populare quiddam est Paræmia, εἰς vulgo notum. Qui verò sententias loquitur, aut serio cohortatur, non per epistolam iam loquenti similis est, sed per artem. Aristoteles sanè εἰς demonstrationibus utitur interdū epistolicis. sicut cum docere vellet, pariter magnis εἰς paruis ciuitatibus benefaciēdum esse, ait: Dij enim in vtrisque æquales sunt. itaque & Gratiae, quoniam deinceps, æquales tibi residebunt apud vtrasque. Nam εἰς quod demonstratur Epistolicum est: εἰς demonstratio ipsa. Quoniam autem εἰς ciuitatibus interdum εἰς regibus scribimus, suntio eiusmodi epistola paulò magis eleuata. (mens enim dirigenda εἰς in personam, cui scribitur.) eleuata tamen, sed non uti Liber aut commentatio fiat pro epistolâ. sicut illa Aristotelis ad Alexandrum, εἰς Platonis ad

DE EPISTOLIS.  
των Καθόλου δὲ μεμι-  
χθεν Ἀπολλήνης περί-  
νας ἐκ δυοῖν χαρακτηρογεν-  
τῶν, τε χαρίεντος καὶ οἰχ-  
ράς. Καὶ περὶ Ἀπολλῆς μὲν  
θρῶντα, καὶ αὐτοπεσι καὶ ξα-  
χτηροῦ οἰχράς.

ad Dionis familiares. Vni-  
uersè autem miscet orationis  
la, quod ad Elocutionem, è  
duobus characteribus istis,  
Urbano et Exili. Et de Epi-  
stola quidem hactenus, et  
simil de charactere exili.

F I N I S.















































